

I. N. 7.
EXERCITATIO METAPHYSICA
De
PRINCIPIO
& eo, cuius est principium,
PRIOR,

Quam
Annunte Principio omnium Primo,
in florentissimo ad Albim Lycco
SUB PRÆSIDIO
Viri Præclarissimi atq; Excellentissimi,
DN. CHRISTIANI TRENTSCHII,
Logicæ, ac Phil. Primæ P.P. celeberrimi, Amplissimi
Ordinis Philosophici p.t. Decani spectatissimi
*Dn. Præceptoris, Promotoris, ac Patroni sui omni
cultu & honore atatem afficiendi,
publicè tuendam exhibet*

M. GEORGIUS MEIER,
Lunæburgensis, A. & R.

In Auditorio Majori
Ad diem 8. Decembr. horis antemeridianis
Anno *χρ̄ιστογ̄ορίας* 1658.

Literis **JOHANNIS HAKEN.**

55. G. 7. a

cl. CXXII. 67.

Coll. diss. A
122, 67

Handwritten text, possibly a title or address, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Sachs.
Landes-
Bibl.



Προούλιον

Uti varia pro varietate entium dari principi-
pia, omnium, ni fallor, calculis punctisq; approbatum sa-
tis est: ita illorum quodnam omnium sit primum, in are-
nâ studioque literario à veteribus Philosophis anxie olim
fuit disceptatum. Thales Milesius, primum principium *aquam*,
Anaximander *aërem*, *ignem* Heraclitus, Empedocles *quatuor ele-
menta* statuiffe leguntur. A quibus non mediocriter dissidentes,
Anaxagoras ac Democritus, ille *infinita partium similium*; hic *dissi-
milium corpuscula* primum dixit principium. Alia vicissim senten-
tia fuit Parmenidis, alia Pythagoræ, alia Platonis. Hic enim *ma-
teriam, ideam, & Deum*: ille *numeros*: iste unum principium *im-
mobile* determinavit. Aristoteles tandem aliorum ut placitis so-
lens suo more reclamaret, quatuor posuit principia, duo interna,
Materiam & formam, *συστατικά* ac constitutiva alias dicta princi-
pia: & duo externa, *Efficientem* sc. ac *finem*. Verùm Gordii hî
sunt nodi, quos dissecare Alexandro per nos liceat. Aliud nos e-
docti, unicum, Christianæ ut convenit modestiæ, primum omni-
um agnoscimus principium, *Deum* nempe *gloriosum*. Hic pro-
nunciante Scaligero, exercit. 365. f. ult. unicè est, sine principio, prin-
cipium, sine fine, finis,

Cui præteritum non abit, haud subit futurum,
ante omnia, post omnia, totus, unus ipse.

Atque hæc de principio omnium primo, omnium maximo tribus
jam decantata verbis, ut *ἐν ὅψει* posita, cuilibet conspiciantur dilu-
cidiùs, in evolvenda nobilissimâ PRINCIPII & EJUS, cujus est
PRINCIPIUM materiâ ingenium *διὰ βραχέων* exercere juvat. Tu,
Christe Jesu

ἐξ ἀρχῆς ἀρχὴ, πατὴρ ἀπ' ἀθανάτων
coeptis annue feliciter!

SECTIO I. ΘΕΩΡΗΜΑΤΙΚΗ

Th. I. Metaphysicæ est agere de principio, & eo, cuius est principium.

§. 1. Certam non incerti ut thēmatī nostrī indigēmus sedem à positione hac non immeritò ducimus auspiciū. Etsi quidem ut in vestibulo eam præmittamus, haud extrema nos cogat necessitas; tamen ne in ignotā planè cum tœdio versemur sylva, aperire istæc nobis viam, ac Mercurialis instar statuæ, quâ eundum sit, notificare quam optimè potest, dum ad totum hoc nostrum negotium feliciùs expediundum haud parùm videtur facere. Etenim, pugnam fortè pugnaremus infrugiferam, nisi, quam de assignanda entis attributi definitione laboremus, quamnam ad disciplinam referendum illud sit, facti prius rati essemus atque indubii.

§. 2. Distincta igitur proponentes distinctè, dicimus, tractationem *Principii & Principiati*, haud, prouti hoc in loco attenditur, adscribendam esse (1) *LOGICÆ*. Hæc namq; cum notionalis disciplina sit, pro considerationis etiam objecto, notiones saltem habet secundas, non verò primas. *Dicis*: Logicus tamen circa principia nonnunquam est occupata, à causis sc. argumenta, quæ principia sunt, desumendo, quid vetat itaque, quo minus doctrina hæc logicæ sit considerationis? Verùm ut silentii jam involvam peplo, non omne statim principium esse causam, quod ipsum in sequentibus evadet perspicuum, distinguendum omninò est inter causas ac principia, considerata *ratione predicabilitatis*: & *ratione entitatis*: considerata *notionaliter*, & *realiter*. Istò non hoc modo principia cognoscit Logicus, utpote, qui, quid principium, quid causa sit, & quotuplex, explicare debet minimè. Neq; hic auctoritati *Ramistarum* aut *Ramizantium* attribuendum quicquam est, cum non quid facti, sed quid juris est, maximè veniat attendendum. Non (2) *PHYSICÆ*. Particularis enim hæc est disciplina, quæ universales ac transcendentēs terminos considerare nequit. Agi quidem inibi de principiis posse non imus inficias, sed

*contracte & imperfecte, non exacte, ut loquuntur Suarez tom. 1.
Met. d. 12. p. 235 Gutkiius disp. 7 Met. non sub primo, sed secundo mo-
mento, non in signato, sed exercito actu spectatis, ac limitatis, prout
corporis tantum naturalis sunt principia. Vid. Pererius l. 8. Phys.
Quare (3) soli METAPHYSICÆ doctrina Principii & Principiati
relinquitur pensiculanda. Hæc quippe sicuti realis ac universa-
lissima reapse existit disciplina: ita universaliter etiam sub momen-
to primo, & in actu signato, doctrinam hanc sibi jure merito ven-
dicat.*

§ 3. Neque verò quia de principiis agit Metaphysica, ob-
jectum ejus talia habere statuendum est. Nulla prorsus Ens in u-
niversali ut sic spectatum agnoscit principia, cum eo nihil sit sim-
plicius. Quod si generalissimæ hujus disciplinæ objectum habe-
re principia deberet, ex illis, ceu partibus essentialibus tali pacto
Ens foret compositum. Vid. Exc. Dn. D. Scharfius in Theor. Transf.
disp. 10. in proœm. Quinimò sequeretur inde, Deum in ordine
Entis habere aliquid se prius, quod absurdum. Videant ergo Com-
bachius l. 1. M. c. 3. Lippius in Met. magna, Burgersdicius l. 1. M. c. 8.
quo jure Entis principia essentiam vocitent & existentiam. Nos
soltim principium & id, cujus est principium tanquam combinatum
Entis attributum, immediatè istud consequens, ac subdisjunctio-
ne denominans, in præsentiarum explicamus.

*Th. II. Principium, & id, cujus est principium
constituunt affectionem Entis disjun-
ctam, primariam, immediatam.*

§ 1. A generalibus procedendum ad specialia est, ut habet
πρότερα methodologicum. Arist. lib. 1. de part. animal. c. 1. Hinc
(1) *Veram Principium, & id, cujus est principium esse Entis affectionem*
asserimus. Probat idem (a) *Recepta affectionum Entis descriptio.*
Sunt autem illæ conceptus entis latissimi, consequentes illud, ac
reciprocè denominantes. Aptemus hæc ad præsens attributum,
& aptè singula in istud quadrare membra, deprehendemus. *Gene-
ralis-*

realissimum certè istud est, quia omnes omninò entium gradus pervagatur. *Entis* porrò *insequitur conceptum* suoq; modo ente est posterius. Ecquis enim conceptum entis, nostram antè subire mentem, quàm conceptum principii & ejus, cujus est principium, Bœoticum nisi sit ingenium, unquam pernegaret? (β) *Sincera requisitorum entis affectionum applicatio.* Ex omnibus ut adducamus præcipua. Adjunctum affectionum entis proprium recensetur *partim Materialis cum ente identitas*, qua materialiter à parte rei affectiones cum ente penitus sunt idem. Quicquid etiam Scotus I. Summ. dist. 3. q. 3. 6. dist. 8. q. 2. & Avicenna contrà disputent. Quos refellunt Thomas part. I. q. II. art. 1. & dist. 14. q. I. art. 3. 4. Suarez. tom. I. M. d. 4. f. 4. n. 2. 3. seq. Arnisæus in ep. Met. Neq; nos movet, quod quidam, in Exerc. Met. licet non omnes quasdam tamen affectiones analogicâ distinctione realiter ab ente differre contendat. Veritati enim hoc videtur esse contrarium. Sed cum his immorari nostri jam non sit instituti, in receptâ nos ac prolatâ permanentes opinione, *Principium & id, cujus est principium* (sicuti omnes reliquæ affectiones) cum ente realiter convenire intrepidi asserimus. Nullam enim in formali suo involvunt entitatem, ita intimè essentiam imbibunt ut separari ab eodem nullâ prorsus ratione valeant. *Partim, formalis ab ente diversitas*, quâ diversis illæ gaudent formalibus rationibus, aut conceptibilitatibus. Et hoc quoque *Principio & ei, cujus est principium* reverè competere infra deducitur fusiùs. *Partim realitas ac Positivitas*, qua reales esse ac positivas affectiones, non per rationem confictas contra Javellum lib. 4. Met. cap. 2. quæst. 3. Jachæum in Instit. Met. pag. 44. ex Arist. 4. M. cap. I. γυναικός defendit Fr. Suarez. tom. I. M. d. 3. f. 3. p. 66. sequentibus. Ex quo observandum juxtâ est, *realitatis ac positivitatis* terminos hic non summo in rigore, quatenus sc. reale ipsum ens reale, positivum v. entitatem quandam dicit peculiarem; sed in laxiori accipiendos esse significatu, prout reale ficto, positivum autem purè nihilo ac non enti opponitur. Quæ ratione vocibus hisce acceptis *Principium* quoque & *id, cujus est principium* reale & positivum esse Entis attributum, vel inde, quod cessante etiam intellectus operatione, extra hominum cerebella.

Enti

Enti reverà competunt, luce existit lucidiùs. Veram tandem
Principium & id, cujus est principium esse Entis affectionem com-
probat (γ) *diserta Summorum virorum testificatio*. Sigillatim
de attributo hoc præcipiunt Suarez. T. I. M. d. 12. f. 1. n. 1. 2. Cl. Scheibl.
Exc. Dn. D. Scharfius, Exc. Dn. D. Calovius in Met. d. c. 14. Stahlius,
Frommius, Spenglerus, Pruknerus, P. Voet, in pr. Phil. ref. cap. 19.
Strateman. in Theatro Met. Johan. Hamborg. in colleg. M. d. 6.
Martinus Posnerus in Sap. 1. alii.

§. 2. Ad alterum theseos accedo membrum, disjunctam
(II) *Principium & id, cujus est principium* constituere Entis affe-
ctionem probaturus. Mitto autem quam ex disjunctarum Entis
passionum descriptione rationem deducit D. Bilefeld in coll. M.
d. 7. th. 1. §. 2. & ad astruendum hoc assertum tale nectō ratioe inium:

*Quæcunq; ita sunt comparata; ut illorum unum prius sit altero
quod ab ipso quocunq; modo procedit, alterum vero isto, à quo
modo quocunq; procedit, sit posterius, illa vel sunt principia, vel
et alia, quorum est principium.*

Atqui omnia entia ita comparata sunt &c. E.

Major procedens à definitione ad definitum, syllogismum efficit
necessariò verum. Minor patet inductione. Deum namq; ac crea-
turas invicem conferentes, illum hisce priorem, hos verò illo
posteriores deprehendimus illicò. Quia præterea primum
illud ens ad omnes creaturas dicit respectum, non realem quidem,
sed quem nos hoc loco cogitamus, quemque noster concipiendi
modus repræsentat, quod sc. Ens primum Deus sit, à quo omnis
creatura ratione essentiæ suæ dependeat (quo de aliàs in Pneuma-
ticis disputatur) omnes etiam creaturæ Deo, quoad esse quod ab
ipso accepere, erunt posteriores, respectumq; ad Deum, à quo esse
habent, dicent realem.

§. 3. *Primariam (III) atq; immediatam hanc esse disjunctam
Entis affectionem, ex supposità genuina affectionum divisione pro-
batu est facillimum.* Scilicet aut intimè aliquot disjunctarum
entis affectionū imbibunt essentiã, ex ipsã entis naturã resultan-
tes adeoq; ἐξω & πρώτως enti convenientes: aut non intrinsecè &
essentialiter, sed ἐξω & δευτέρας, extrinsecè, accidentaliter & certã

τμήσει

τὰς eidem competunt à libera hominum dispositione ac consideratione maximam partem pendentes. Primariæ illæ, hæ verò secundariæ audiunt. Porro quando primariæ vel sine alterius unitæ affectionis interventu Ens consequuntur, vel unitis median- tibus eidem attribuuntur, in immediatas ac mediatas rectè iterū dispescuntur. Vid. Ex. Dn. D. Calovii in Met. div. Quæ cum ita se habeant, latere neminem potest, *Principium & id, cujus est principium* affectionem constituere disjunctam *τὴν primariam*, cum non *δευτέρως* sed *πρώτως*, non accidentaliter suo insint subjecto, ita- quidē, ut nisi vel principium detur & id, cujus est principium, Ens tenere esse suum nequeat: *τὴν immediatam*, quia nulla mediante unita Entis passione, neque unitate, vel perfectione, neque veritate aut bonitate ex entis naturâ profiliunt.

§. 4. Non video itaque quo pacto erroris isti effugiant notam, qui vel planè cum Joh. Lalemandet, cum Rob. Baronio, cum Arnaldo Senguerdo & aliis doctrinam de *principio & principio* silentii involvunt velariis; vel cum Lippio in Met. magna l. i. p. 68. cum Maccovio ep. Met. incompetenti de eadem præcipi- unt loco: vel cum causis cum Ramistis permiscant temerè. Nobilissima hæc, summorum virorum consensu, materia est, non ergo pede sicco prætereunda. Inter disjuncta entis attributa refe- renda est, non circa objecti Metaphysices considerationem pertra- ctanda. Separanda à causis est, non cum iisdem confundenda.

Th. III. Definitio Principii ὀνοματώδης absolvitur etymologiâ, homonymiâ & Synonymiâ.

§. 1. A nominibus auspicandum esse, magister subtilitatum Scaliger autor est, Exerc. i. l. i. & exerc. 359. l. i. p. m. 1096. Uti namq; conveniunt rebus nomina sæpè suis:

Ita earundem scrutinium elidendum illicò, penitusq; repudian- dum non est, Quocirca ut nos quoq; in cæteris pertractandis pe- dem tutiùs figere habeamus, Scaligeri monitum habentes pensi, nominis evolutioni curam aliquam tribuere constituimus.

§. 2. Etymon ergo quod attinet, vox *Principii*, quia deno- minans primarium, seu ipsum, ut vocant, abstractum est, Logicam admittere denominationem recusat. De vera interim origine Gram-

Gram-

Grammatici certant, & adhuc sub iudice lis est,

Nonnulli enim nomen *Principii* esse primigenium contendunt miserè. Alii ab aliis istud deductum vocabulis æstimantes, à capite partim, partim à capiendo derivant. Nos Grammaticam hanc litem Grammaticis impræsentiæ dirimendam relinquentes, Cl. Becmanno lib. de LL. orig. p. 330. subscribi tutissimè omnium posse arbitramur, qui *principium* mediante *principis* voce à *primo* & *capio* (quasi d. *principium*, quod prima capiat, nec incipiat aliunde) formatum esse approbat.

§. 3. Πᾶν τὸ πολλαχῶς λεγόμενον ἀσαφές, verba sunt Philosophi, & ambiguæ qui ludunt, quæ specie sua facillimè, & non animadvertendo ferè fallunt, in aureo poculo (Stengelii ut utar verbis) venenatum tibi propinant merum. Nostrum idcirco thema ab iis, quibus premitur ambiguitatibus liberaturi, non illos jam repetemus modos, in quibus principii ratio ab Armando de bello visu c. 238. p. 433. seq. collocatur; Sed præcipuas tantùm acceptiones proferemus in medium. Accipi autem Principium potest (I) *vel improprie & abusive* quatenus cum causa istud reciprocari falsò à nonnullis dijudicatur: *Vel negative*, pro eo ante quod non est aliud, quodq; alterius non agnoscens præcedentiam, antecedens tantùm, haud verò consequens respicit. Sic filius maternum solus aperiens uterum, licet nulli post eum nascantur primus & principium rectè salutatur. Hinc Christum quoque *πρωτότοκον*, (Matth. i. v. 25.) quem sicuti præcessit nullus ita insecutus nullus fuit, principium benè vocari, contra Helvidium meliùs observavit Cl. Spenglerus exc. M. f. 2. a. i. pr. *Vel positive* pro eo quod prius ponit respectumq; anterioris ad posterioris infert. Vocatur à nonnullis *principium rei*. Ita primogenitus filius inter duos, tres vel plures etiam fratres, nativitatæ fraternæ vocatur principium. (II) Principium sumitur *vel absolute*, sine principiati seu respectu, ad aliud illatione, quatenus ipso nihil est prius. Sic unitas, quam non antecedit alia numeri denarii est principium. *Vel respectively* prout respectum dicit antecedentis ad consequens, tanquam ad id, cuius est principium. Sic in numero denario sexta unitas est prima unitas respectivè, respectu scil. quinarium posterioris. (III) Vox principii usurpatur *vel γενικῶς & populariter*, quodcunq; prius al. sq. ulla emanationis ac dependentiæ ratione designans.

signans. Quò spectant principia *partim respectu dignitatis* talia. Quomodo principium senatus Academici Rector, oppidani Consul, legionis suæ centurio salutantur. *Partim respectu locationis* s. naturalis, s. arbitraria. Quo referenda principia docendi ac discendi; principia disciplinarum particularium. Ita Exordium orationis, fundamentum domûs vocantur principia. *Partim respectu rationis*, quando principium indigitatur illud à quo aliquid movetur. Uti sunt Principia motus & temporis. D. Calovius in M. d. Fonseca M. 5. c. II. tit. 6. *Partim respectu ordinis*. Sic ταξίαρχος & qui primum in certa classe tenet locum; Sic nummus primo loco positus, dicuntur principia. Confer Dn. D. Scharffii Met. Exc. I. 1. c. 5. §. 18. seq. ubi ad principia per analogiam sic dicta omnia ista refert. Vel ἐξοχικῶς seu *eminenter*, pro eo, quod nullum principiatum, nullamq; respicit dependentiam. Et hoc sensu iterum *aut* accipitur *pro principio omnium primo*, nullam se superiorem causam agnoscente, neque principiatum unquam vicem subeunte. Uti v. g. solus Deus ratione simplicissimæ originis Filii, & Filius Sp. Sancti dicitur principium: *aut pro cognoscendi principio*, & quidem tali, ex quo Theologicæ deducuntur conclusiones. Quale principium totius Christianæ religionis unicum adæquatum & ordinarium est revelatio divina seu verbum Dei revelatum, ejus hoc est αἰτιολογία: *Quicquid Deus dixit, illud est verum*, vel ἰδιως, *adæquatè & transcendentaliter*, notans omne id à quo aliquid procedit quocumque modo. Non hic accipitur *negativè, absolutè, populariter & eminentè*, quia & ultima hæc acceptio h. l. est strictior; sed *positivè, respectivè & transcendentaliter*, prout respectum dicit ad id, cujus est principium, cumq; eo disjunctum entis attributum constituit.

§. 3. Expendenda hic venit homonymica Principii distinctio in *Complexum, & incomplexum*. Illud tota est propositio, è qua per se notà dependent conclusiones. Ut *Totum* est majus suis partibus. Hoc est res simplex, quæ in alterius nos deducit cognitionem. Sic v. g. Rei affectus, operationes, proprietates, accidentia ducunt nos in causæ vel essentiæ alicujus notitiam. Complexa Principia iterum *alia sunt prima; alia orta*. PRIMA sunt quorum veritas per se manifesta est, ut rectè intellecta assensum facile mereantur. Et horum *aliud vicissim est vel absolutè primum, ut. Impossibile est idem esse, ac non esse*, quia hoc

secun-

Secundum rei veritatem prius non datur, licet illud: *Cogito ergo sum* secundum opinionem primum vocetur. *Vel in certo genere primum quale istud naturale est: Ex nihilo nihil fit.* Item. *Natura nihil facit frustra.* ORTA sunt quæ ex primis fluunt, ex iisq; suam accipiunt probationem, *Sive illa sint de Ente communissimo.* Ut in *Metaph.* Quodlibet est vel non est. *Sive de ente determinate quidditatis,* in disciplinis sc. particularibus, ut, *omne malum est quantum.* Vide sis *Ex Dn. D. Calovii Præceptoris ætatem amandi Met. div. c. 14. p. 464* Non de complexo, sed incomplexo principio unice hic sumus solliciti, Noologia interim istud pertractandum committentes.

§. 4. Interim attingenda quoq; hic breviter est distinctio Mathematicorum, qui principia complexa dispescunt in *Affertiva, & Petitiva.* *Affertiva* ponunt duo, *definitiones & Axiomata.* *Definitiones* sunt, quæ ab artificibus docendi causa, constituuntur, quibusve positis sine demonstratione assentimur. *Axiomata* sunt propositiones universales per se notæ, ac fide dignæ. *Petitiva* itidem sunt vel *Hypotheses,* quæ dicuntur definitiones terminum artis explicantes, ex quibus tota fere *Astronomia* est extracta: *Vel ἀιτήματα seu postulata,* quæ artifex dari sibi aut concedi petit, licet adhuc sint obscura. Ita si, v. g. probare velim, cælum esse mobile, & hoc mihi peterem dari postulatum: *Terram moveri.* Quod licet aliàs negetur, postulo mihi tantisper concedi. Sed, quia, uti dictum, hæc hujus propriè loci non sint (affectio. ensis debet esse simplex & incomplexa) & in actu saltim exercito, quatenus certæ applicantur materiæ, aut vox Principii accuratius enodatur, hoc in loco ex intelligentiæ habitu explicantur, ea ulterius diducere supersedemus.

§. 5. Synonyma Principii variis in linguis dantur varia. *Ebraeis* dicitur נִשְׁאָר ex שָׂאָר item הִתְחַלֵּף à Rad. חִלַּף vulnerari, in *Hophil.* הִתְחַלֵּף Incipere. *Grecis* ἄρχω, quam vocem benè quidam deductam volunt ex verbo medio ἀρχομαι, incipio, quod ab ἀρχα Impero: malè verò alii ἀρχα τὸ ἀρχεῖν ἔχειν. *Latinis communiter auspicium, initium, exordium, primordium, origo, fons, autor, caput &c.* Ex quibus tamen *primordium* respicere potissimum videtur principia causalia; *initium* non-causale. *Origo* de causis dicitur maximè intrinsicis; *fons, caput, autor* & *Metaphorica* sunt, & *fons* intrinseca magis, *caput* v. & *autor* extrinseca respiciunt.

§. 7. Synonymis principii annumerant nonnulli *causam* f. *causam*. Verum minus rectè. Differunt certè causa & principium ut latius & strictius, ut genus & species. Principium genus causæ est; hæc vero species. Omnis quidem causa est principium (contra Arriag. l. 1. Phys. d. 1. s. 1.) at non vice versâ, omne principium est causa, testibus Philosopho l. 5. M. c. 2 Rob. Baronio, l. 8. de causa in gen. p. 102. Conimbricens. lib. 1. in Phys. 5. q. 1. a. 1. Joh. Homborg. in Coll. M. d. 6. th. 15 aliis. Rationem inæqualitatis ex aliis damus hanc (a) quod principium de eo etiam, in effectum quod minus influit, verissimè enunciatur. Sic e. g. in venerando S. S. Trinitatis mysterio Pater optimè Filii appellatur principium, pessimè verò causa. Aurora item diei: primum punctum, lineæ sunt principium, causa non sunt. Privatio generationis dicitur principium (quo jure viderint physici) causa neutiquam (β) quia causa semper ab effectu aliud est, & essentiæ numero diversæ; non v. ita principium ab eo, cujus est principium. Quamvis (γ) non negaverim facile, causam & principium esse nonnunquam equipollentia, hoc tamen concedi nunquam potest prout spectantur *formaliter*, sed saltim prout *materia-liter*, quando nempe eandem important rem. Vid. Suar. l. d. Th. 1. p. q. 33. a. 1. Söcinas M. q. 1. Zanardus. M. c. 1. Ebel. in coll. M. gen. disp. 22. s. 2. a. 2. p. 372. D. Christ. Matth. M. d. 5. Stahl. in reg. Phil. tit. 3. reg. 15. Exc. D. Scharf. in Th. Transc. d. 10. c. 1. n. 4. P. Voet. in 1. Phil. ref. l. c. alii.

Th. IV. Principium est prius affectionis disjunctæ primariæ immediate & membrum, quo ab ente aliquid procedit quocumque modo.

§. 1. Ad *πραγματολογίας* accingimur *διάτξε* *iv.* ubi magna statim sese inter autores offert varietas, major sententiarum q. collisio ac pugna. Nos Dn. D. Scharfii, vestigia legentes, descriptionem ex Thomæ Aquinatis parte. 1. q. 33. desumptam & optimam omnium & explicatione judicamus dignissimam.

§. 2. Non absolute a. sed respectivè describi affectiones debent. Hinc verbis: *Prius affect. disj. immed. membrum*, latiore ac determinabilem exprimitur conceptum. *Affectionis* (1) dicimus *membrum*, non *affectionem*, quia principium Entis latitudini per se solum non respondet, sed cum altero demum opposito membro, *Eo sc. cujus est principium*, absolvit affectionem. (2) *Membrum est affectionis disjunctæ*, siquidem cum ente non in unito, sed disjuncto sentu *Principium*, & *id cujus est principium*, recipiuntur. Non n. omne ens essentialiter est principium, licet

sicut nec principiatum. (3) *Membrum aff. disj. primaria, immediata*, quia *απρωτος* & immediate sine uniti Entis cujusdam attributi interventu, principium in ente fundatur, illudq; denominat.

§ 3. Conceptus strictior ac determinans absolvitur *partim materiali*, quod huic cum cæteris Entis passionibus commune, ipsum ens est. *Partim formali*, quod ab omnibus reliquis diversum, communi aliàs termino per τὸ procedere efferimus. Sita a. formalis principii ratio est *in consecutione / illatione unius ad aliud* s. in τῷ esse, s. in τῷ cognoscere.

§ 4. Sed hæc ut ὁφθαλμοφανερῶς consent, singula accuratius verbã quibus principii natura circumscribitur, sigillatim erunt ponderanda. I. Terminus *Aquo*, non strictè h. l. & causaliter accipiendus est. Uti dico: A Patre est filius; sed *genemliter* q. idè est, quod *Ex quo. per quod, & ad quod*, adeoq; omnes involvit causas, ac quamcunq; infert unius ad alterũ habitudinem juxta quam ab intellectu nostro verè aliquid ad alterum consequi apprehenditur, sive istud fiat *cum vero causali influxu*, juxta quem omnis causa rectè sui effectus vocatur principium: sive absq; illo, quacunq; ratione, modò aliqualis ibi connexio, aliqualis unius ad alterum consecutio deprehendatur. Sic Deus omnis creaturæ est principium. Forma ac materia totius compositi, anima risibilitatis, artifex producti operis sunt principia. II. Terminus *Aliquid* non hic *essentia* denotat *alietatem*, quã res essentialiter i. e. realiter ab aliã separatur. Hæc siquidem ratione illud, quod à principio quoddam dicitur procedere, aliam semper h. e. novam & à principio diversam planè inferret essentiam, quod ἀπρωτος διόγουτος. Sed *quamcunq; rationis alietatem*, qualis inter ea etiam, solã quæ ratione differunt, invenitur, modò veræ ad alterum consecutioni applicari haud repugnet. uti hoc indivinis est manifestissimum. III. Vocabulũ *Procedendi* hic non *instrictiori* ac *Theologico* sumendum est *significatu*, quo modo Sp. Sanctus à Patre ac Filio ἐκπορευεσθαι pronunciatur Joh. 15. v. 26. Neq; *instricto*, prout causalem aliquã insinuat processionem. Sicut v. g. causatum procedit à causã; sed *in laxo* quamcunq; notans unius ad alterũ consecutionem, ut ita procedere idè sit, quod *emanare, oriri ac producere*. Hinc IV. additur particula *quocunq; modo*, ut qualiscunq; consecutionis modus unius ad alterum subinnuatur, sive per ordinem fiat, sive per veram causalitatem, sive per modum cognoscendi, sive modo alio. Conf. Fons l. 5. M. Suar. t. 1. tom 1. M. d. 12. l. 1. Vasquez in primam d. 139. c. 1. B. J. Martini in exc. M. Dn. D. Calov. in Met. d. c. 14. n. 2.

§ 5. Ad Aristotelem redeo, cujus an legitima quam habet lib. 4. Met. c. 4. Principii sit definitio, multi disceptant adeo, ut pro aris ac focis cer-

tamen suscepisse videantur. Definitio sic habet: *Principium est illud a primo unde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Defendunt eam Stahlus, Joh. Homborg. l. c. retinent Reiherus in Marg. Phil. Syn. M. p. 27. alii. Verum etsi nos id propter, quod descriptio hæc admixtâ habet generalem principii divisionem (quæ exulare à definitione debet) non simpliciter illam improbemus, præponere tamen nostræ ideo nequimus, quod formalem principii rationem non perspicuè satis declaret, & sic obscuritatis aliquo modo possit coargui.

§. 6. Aliam contentionis faciem accendunt nobis Timplerus l. 3. M. c. 1. Alstedius *Principiū describentes per id, unde dependet principiatum.* Ast his subscribere planè nō habemus, cum descriptio hæc variis impingat modis. Nam ut taceam 1. eam *esse inaccuratam*, quod disjunctæ Entis passionis membra non ἀπλῶς è relatione ad oppositum suam dijudicanda veniunt, verum ex relatione potissimum ad subjectū s. ipsum ens, idq; quo afficiant modo attendendū; 2. *angustior desinito est*, siquidem non omne statim, quod habet principium, admittit dependentiā, nisi causatum sit, aut creatū. 3. *Obscura nimis, imò nulla est.* Nullam declarat essentiam, sed obscurū describit per æquè obscurū. Et quis tandem signum describeret per id quod repræsentat signatum, mensuratū per id, quod indicat mensuratum? Neq; juvat Timplerum quod l. 3. M. c. 1. q. 2. particulæ *A quo* rigorem prætendat, cum illa quidem efficienti plerumq; attribuatur non tamen perpetuò, sed generalius etiā nonnunquā accipitur, ut particulæ *Unde* æquipolleat, haud secus ac voculæ græcæ ἀφ' ἑ & ἀθεν ab Aristotele sæpius permutantur.

§. 7. Aliam adhuc alii ex Aristotelica formāt Principii descriptionem, definiētes *per id, unde est aliud.* Et hanc nonnulli suo admitti modo posse æstimant. Verum obstare videtur quod sit (α) *nimis stricta.* Id namque unde est aliud, competit tantū principio essendi: ast hic principiū prout à principiis essendi ac cognoscendi præscindit, erat describendum. Neq; (β) *id cuius est principium* aliam à principio habet essentiam, sicuti hoc ipsum indivinis extra dubitationis aliam est positum.

§. 8. Ipse tandem Philosophus alias Principii ministrat definitiones *tum* in Poeticis, c. 7. *tum* l. 5. de gen. anim. c. 7. *tum* 1. Phys. c. 5, t. 42. Sed cum omnes hæ definitiones non satis communiter principii naturā declarent & à Cl. Scheibl. l. M. c. 21. n. 7. 6. 8. à Joh. Homborgio disp. 6. M. th. 4. satis insuper explanatæ sint, propter pagellarum angustias eas præterimus.

Th. V. Duo sunt genuina Principii requisita, Prioritas ac Consecutio.

§. 1. Duo jam ut mens nostra planè ac plenè percipiatur, Principii ad-

dimus

dimus *πρῶτον μὲν* quorum unum est *Prioritas*. Nimirum ut principium eo cuius est principium sit aliqua ratione prius non ipsum modo evincit nomen, sed & tritus Metaphysicorum canon: *Principium est prius principio*. Scilicet quoad principii fundamentum vel subjectum, quod relationem istam, ut principium sit ac dici queat, sustinet, uti præ cæteris rem acu hîc tetigisse mihi videtur. M. Thomas Sagittarius in Ax. M. cap. 3. dec. 6. c. 8. Probari idem potest ex ipsa principii definitione, in qua principium à quo aliquid procedit, fuit descriptum. Ast ubi admittitur particula à quo, ibi admittenda etiam aliqualis erit prioritas.

§. 2. Quæ ut planius exponamus repetenda h. l. varia *Prioritatis* acceptio est. *Prioritas* alia est *REI* s. realis; alia *cognitionis*. Realis (I) est *essentie*, quæ iterum (a) talis vel *ordine nature*, quâ in naturali essendi ordine alterum aliud antecedit. ut animal hominẽ, causa causatũ genus speciẽ. Hæc juxta D. Calovium *aut est reciproca*, quando prius cum posteriori recipitur, uti Rationale & risibile: *aut non-reciproca*. Sic prius universale est particulari, genus speciẽ. (c) *Vel ordine intentionis* s. *intendens nature*, quâ semper prius intenditur perfectissimum. Et dicitur aliàs *Prioritas Perfectionis*. Ita homo animalibus prior est. (II) alia *Existentie* quæ *vel temporis* s. *durationis* quâ existentiã illius hujus existentiã præcedit, quomodo Adamus, Abele, vapor nive, bruta homine sunt priora. *Vel loci*. Et huc referri potest prioritas *originis* s. *enumerationis* qua quid prius alio est *locatum*, ut *Exordium* prius est *narratione*. Secundus in chorea prior tertio. Non n. prioritatẽ originis à Mendoza & Vasquio tẽporis prioritati rectẽ opponi posse, cũ Arriaga putam9 cũ originis prioritas propriẽ dicta prioritas nõ sit. (III) *Potentie*, quâ quid ratione effect9 ac virtutis altero dicitur pri9. Sic calefactio potentia ac virtualiter exsiccatione in sole prior est. (IV) *Honoris* s. *eminentie*, qu. quid nature præcellentiã aliud antecedit. Ut consul senatorẽ, eruditio divitias. (V.) *Causalitatis* s. *influentie*, quomodo omnis causa effectui est prior. Sol lumine, homo risibilitate, Pater filio. *COGNITIONIS* prioritas est, quâ quid ante aliud cognosci aptũ est, *sive confuse* & quoad nos, *sive distincte* & quoad naturã, intelligendã a. omnes hic Prioritatis species sunt, utpote quarum nulla ut sic spectata, nisi quæ causalitatẽ habet admixtam, introducitur imperfectionem.

§. 4. Alterũ Principii requisitũ est *Consecutio* vel habitudo ad id, quod procedit. Neq; v. alterius statim dici meretur principium, quod quacunq; illud ratione antecedit, eoq; prius est. Multa sic principia dicerentur quæ non essent talia. Ita v. g. infans heri natus, licet hodie nato sit prior, non tñ. ideo ejus dici potest principium. Sed intercedat oportet connexio ac respectus aliquis ad principiatum, quo verẽ hoc ab illo procedat.

§.5. Ad eos me converto, qui primū principii requisitum tormentis suis in feliciter oppugnant, particularitatis istud incusantes. Horum Coryphæus est Thom. p. 1. q. 42. qui exemplo S. S. Triadis prioritatē non omni cōpetere principio monstrare conatur. Huic pollicē premunt Dam. l. 5. de O. p. c. 4. Capr. l. 1. s. d. 29. q. 1. Soncin. tandē 5. M. q. 1. rem hoc includit argumento: *Quo præcisæ res adhuc concipitur ut principium, id non pertinet ad principii rationē formale. At qui præcisæ prioritate res adhuc &c.* E. Minorē probat partim fingendo casum possibile, ut quod possibile sit intelligere quod A sit principium B. comunicans eidem eandem numero entitatē: & partim mysterio S. S. Trin. ubi Patrē sine prioritate Filii dicit principium. Verum R. 1. Neg. minorē. Non datur sine quacūq; prioritate principium. Probationem quod concernit, negamus itidem in utroq; allato exemplo non inveniri prioritatem licet non naturæ vel temporis, tn. originis & enumerationis. Vid. Ebel. in coll. M. d. 22. Distinguo 2. inter principium & id, cujus est principium spectata formaliter quæ talia sunt: & materialiter pro re, quæ principium vel principiatum denominantur atq; huic respectui substrata est: Illō nō hoc modo sunt simul. 3. Repugnat adversariorū sententia cū ipsa Metaphysices natura, quæ, cum universalissima sit & terminos habeat, finitis pariter ac infinito (separata impuritate) cōmunes. Non E. 4. hic metuenda imperfectio est, cum non naturæ sed mera ordinis, originis ac naturalis enumerationis sit ista, quæ divinis tribuimus, prioritas. Quo de infra. Vid. Suar. t. M. s. 1. Scheibl. D. Matth. l. c. Calov. & Nicolai 9p. M. l. 1. c. 5. Neq; obstat, Principium cognoscendi non semper admittere prioritatē cum à posteriori etiā res cognosci dicantur, cum nihilominus semper cognitione sit prius si non sensitiva tamen intellectiva, si non perfecta & distincta tamen imperfecta ac confusa.

§.6. Posterius principii requisitum eludere conatur in ref. Keck. c. 10. p. 3. Goslavius in hæc erumpens verba: *Quicquid habet aliquid se prius, non caret principio.* Sed (a) A prioritate ad principii rationem nulla est consequentia. (β) Licet haud negemus hunc respectum ad formale principii necessario addi, eo tn. id absolvi penitus, nullamq; insuper requiri consecutionē ac processionis originē pernegamus. Dantur certē multa aliis priora quæ non statim illorum propriè sunt principia. Juda Josepho erat prior, non tn. ejus erat principium. Quid? quod hac ratione qui templum ingreditur prior subsequentis dicendus esset principium. Quot ergo erunt principia? Sed filium abrumpere jubet charta plura hac de re qui cupit adeat Met.

Phot. Kesl. f. 3. pr. 7.

Coll. diss. A. 122, misc. 67